

NUMMUS VOTIVUS

FERDINANDI ROMANORUM RE-

gis: Cufus ante expeditionem Ungaricam &
Budam obfeffam: Anno Chri-

fti 1541.



QUO tempore Carolus V. Imperator conventus Ratisbonæ agebat, Ferdinandus Rex Budam obsidet, & oppugnat: in qua tunc erat Vaivoda Johannis uxor Vidua, cum filiolo Stephano. Quia verò jam pridem pupilli tutores ceterique procures hæredem Regni Turcæ commendaverant, ipseque in se pueri patrociniū receperat, rebus ita postulanti-
bus, legatum mittit cum copiis, quæ mense Julio

Budam venerunt, ipse verò cum reliquo exercitu, non multò post subsequitur. Itaque Ferdinandici rejecti, Germani, Bohemi, Moravi, relictâ obsidione, & ingenti acceptâ clade: Pesto etiam amissò, quod est oppidum contra Budam; reliqui fugâ salutem sibi quæsiverunt. Turca sub exitum Augusti, munera mittit infanti Stephano, ac matri nunciat, cupere se puerum videre, petitque ut in castra eum sibi mittat. Mulier perterrita cum aliud non posset, hortatu procerum mittit una cum nutrice, comitatum turba nobiliam. Ille perhumaniter excipit, ac deinde per suos, Reginæ Consiliariis ostendit, velle sibi Budam tradi: nam se, non illam posse ab hoste eam defendere, & sibi subinde redeundum huc esse cum exercitu: quod valdè sit & molestum, & sumptuosum: itaque multò præstare, ut ipse teneat. Hi de suo periculo solliciti mussant. E vestigio Janizarorum præfecto negotium datur urbis occupandæ, neque prius ad matrem Reginam missus est filius, quam re perfectâ. Cum jam urbem tenerent, & cives omnes exarmassent, arcem quoque sibi tradi postulant, in qua Regina tum erat. Eam Turca jubet interim per internuncios animo esse præsentem, & Transylvaniam